Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Cap. VII.

Sonitus pedum domini eius cohors illa fuit que venit cum iuda et ministri illi a principibus sacerdotum et phariseis missi. Hec eadem ita legis in evangelio. Iudas autem cum accepisset cohortem et a pontificibus et phariseis ministros. Adhuc illo loquente eis apparuit nuntius qui ad eum veniebat. Verus namque heliseus dominus et salvator noster ihesus christus sciens omnia que super eum ventura erant. postquam dixit discipulis suis. ecce appropinquat qui me tradet. statim sicut evangelium littera continet. Adhuc eo loquente venit iudas unus ex duodecim. Ipse autem iudas postquam tam iniqua et infelici functus est legatione ut armiductor esset scelerus quo filius dei ad mortem duceretur eius traditione. ad cumulum iniquitatis sue addidit. quod semetipsum in baratrum desperationis precipitare non abhorruit. quemadmodum verba insinuant subsequentia que mystice intellecta dubitatis illius et diffidentie vere sunt inditia. Ecce ait tantum malum a domino est. quid amplius expectabo a domino. Ego inquit miser peccatis meis exigentibus adhuc deputatus sum ut filius dei per me morti tradatur et per illum mundus redimatur. Quid amplius expectabo a domino. Quasi diceret. Nullam spem salutis amodo habeo de deo. quia redemptione illa qua filius dei per me traditus. universo mundo lucrabitur sanguine suo. ego miser et infelix dignus esse non valeo. Quia ergo infelix iudas sanguinem christi qui pro omni mundo interpellat et universorum peccata excusat. ipsos quoque qui fuderunt illum ad penitentiam invitat advenia se proficere posse desperavit. iure sicut perfidus et avarus. atque impenitens. perpetue dampnationis periculum incidit.

Nunc ad heliseum nostrum redemptorem scilicet humani generis verba vertamus. et qualem consolationem in passione sua ad quam per ipsum infelicem iudam traditus est. electis suis dederit audiamus. Ait enim. Audite verbum domini. Audite inquit orbis terrarum et universi qui habitant in eo. me qui sum verbum patris. audite quantus erit fructus mee passionis. Hec dicit dominus deus pater. conditor celi et terre. qui in predestinatione sua disposuit. ut per meam passionem salus hec seculo perveniret. In tempore hoc cras. modius simile uno statere erit. et duo modii hordei statere uno in porta samarie. Per modium simile perfecta mensura divine sapientie. que in novo est testamento figualiter expressa. per duos vero modios. scientia veteris testamenti que in duobus id est in lege et prophetis constat. non absurde intelligitur. Hic ergo dominus noster ad servos suos. In tempore hoc id est dum iam venit plenitudo temporis. quando me deus pater pro salute humani generis incarnari iussit et pati. cras hoc est futuro tempore mee resurrectionis. modius simile uno statere erit. dignitas scilicet novi testamenti precio sanguinis mei initiabitur. Et duo modii hordei hoc est lex et prophetia eodem uno statere id est precio passionis mee appendetur et revelabitur in porta samarie id est in predicatione apostolica cuius doctrina tota in manda est ecclesia. Respondens unus de ducibus super cuius manum rex incumbebat homini dei ait. Si fecerit dominus etiam cataractas in celo. numquid poterit esse quod loqueris. Dux iste qui filio dei contradixit. ordinis scribarum typum exequitur. super cuius manum id est dispositionem et prudentiam ceco ducatum prebente rex iste carnalis videlicet iudeorum populus innititur. Hec sunt verba contradictionis ducis illius quem figuram scribarum tenere diximus. Si dominus fecerit etiam cataractas in celo. numquid poterit esse quod loqueris. Ordo namque scribarum qui solum se clavem scientie habere arbitrabatur. et nec ipse introivit per fidem in sanctam ecclesiam. et intrare volentes prohibebat. impossibile esse suspicabatur. ut traditionum suarum ritu destructo futurum esset. quod evangelice gratia doctrine per sanctos predicatores in toto orbe diffunderetur. Unde contra dominum incredulus ait. Si dominus fecerit cataractas in celo. id est si dominus deus predicatores suos in mundum miserit. qui arentia cor